

249. *Obserca.* Pro commodo ex *Geographia et Chronologia* capiendo, non tam faciunt regulæ, quam librorum *notitia*, in quibus Theologus subsidium paratum inveniat. Inter hoc vero **pro** intelligendis Vet. Novique Testamenti Codicibus serviunt præprimis **Theatrum** Terræ sanctæ ab ADRIANO ADRICHOMIO editum, Mappæ Geographiæ sacræ a NICOLAO SANSON tabulis tribus incisæ, duo item volumina SAMUELIS BOCHARDI, Geographiam Terræ sanctæ complexa : pro historia primitivæ Ecclesiæ cognoscenda prodest ex veteribus Geographia tum STRABONIS tum PTOLEMÆI ; ex recentioribus PHILIPPI FERRARI Topographia in Martyrologium Romanum et ARNOLDI MEERMANNI Theatrum conversionis gentium totius orbis : pro dignoscendis rebus Ecclesiasticis a Constantini ætate usque ad Honorii tempora præstat, quæ antonomastice dicitur, *Notitia* utriusque Imperii sub initium seculi 5. scripta, a GUIDONE PANCIROLO notis illustrata ; cui adjungi potest Index Geographicus editioni Conciliorum Labbeanæ subjectus : pro noscendis Ecclesiis ad quinque Patriarchatus pertinentibus consuli præsertim merentur Geographia CAROLI VIALAR, olim dicti a S. PAULO, Ep. Abrincensis, Jus Græco-Romanum JOAN. LEUNCLAVII, Officia Ecclesiæ Constantinopolitanæ GEORGI CODINI, ac demum *Notitia* Episcopatum AUBERTI MIRÆI : pro hodierno tandem statu Episcopatum discendo, præter postremi memoratam *Notitiam*, Politiam et Geographiam Ecclesiasticam, conducit Apparatus ad novam Conciliorum editionem, auctus ab HARDUINO, et correctior a COLETO Venetiis editus.

Chronologiæ *notitiam* suppeditant SCALIGER de Emendatione temporum, CALVISIUS in *Chronologia*, BEVEREGIUS in *Institutionibus Chronologicis*, PETAVIUS in *Rationario* et in *Doctrina temporum*, RICCIOLIUS in *Chronologia reformata*, SALIANUS et USSERIUS in *Annalibus*, BRIETIUS in *Chronico universali*, aliique tum antiqui tum recentiores, quorum amplissimos labores brevi libello complexi sunt MUSANTIUS in *Tabulis Chronologicis* et CALMETUS in *Chronologica Epitome*. Ex his autem alter alterum correxit sæpius, aut diversam annorum seriem ordinavit, partim quod ipsi scriptorum primævi fontes deficerent, variarent, vel fluctuarent ; partim quod epocharum, ærarum, periodorum aliarumque notarum Chronologicarum initia, ordo ac usus incerti varique forent : unde sub extremum valeat hæc Genebrardi observatio : In *Chronologicis* satis est, si probabilissimum veroque proximus calculus teneatur.

APPENDIX I.

DE HERESIBUS IN ECCLESIA SUBORTIS.

250. *Nota.* Ex historicis pro Theologia subsidiis restat *notitia* de sectis erroneis ; quæ quamvis sparsim et pro opportunitate materiæ in *Institutionibus Theologicis* etiam amplior detur, eam tamen pro Principiorum Adjuvantium supplemento hic adjungendam duximus, ut et aliorum morem imitemur, et hanc Theologiæ eruditionis partem desiderari haud patiamur. Sectarum hujusmodi, ut de *Virt. Theol.* dicemus, tres universim classes numerantur, Paganismus nempe, Judæismus et Hæresis. Ad *Paganismum* referuntur Athei, Deistæ, Polythei et Mahumetani ; sub *Judæismo* comprehendebantur olim Samaritani, Sadducæi, Pharisei, Hemero-baptistæ, Herodiani, Galilæi cum Nazaræis et Essenis, utriusque Ecclesiæ communibus ; nunc

verò Judæi in Caritas traditionem respicientes et Rabbinitas illam recipientes scinduntur : *Hæreses* in Ecclesia Christi invaluerunt plures, quam ut paucis eas titulis recensere liceat, nisi forte ad certos fidei articulos, quos principaliter negarunt, eos reducere liberet.

Porro sicut in Disp. 2^a. a prioribus duabus partibus oppugnandis abstinuimus, sic neque nunc in iis uberius referendis detinebimur ; partim quod errores earum characteristici vel ex ipsomet nomine vel ex alibi dictis jam constant, alii vero inter hæreses etiam occurrant : partim quod sectariorum illorum apud nos vel minor sit frequentia vel rarior oppugnandi occasio ; unde et titulum de solis hæresibus inscripsimus. Acturi autem de his, eruditioni id dabimus, ut plerasque secundum seculorum seriem, annotatis nomine, auctore et anno, atque erroribus præcipuis indicatis referamus : brevitatibus autem studio id concedemus, ut minus famosas nec postea reviviscentes suis in tenebris relinquamus ; vitam hæreticorum et mores historicis enarrandos relinquamus ; oppugnatores etiam, damnatores ac iudices hæresum, utpote magnam partem in recensione Conciliorum, Pontificum et Patrum jam annotatos, hic prætermittamus.

SECULUM I.

SIMONIANI, dicti a Simone Mago, an. 40. Docebant mundum ab Angelis, Legem a sinistra Intelligentia conditam ; Christum apparenter duntaxat passum ; dari metempsychosin ; resurrectionem carnis non fore ; promiscuum foeminarum usum licere ; nulla opera bona requiri.

A Simonis discipulis, pauca mutantibus, provenerunt MENANDRIANI, qui immortalitatem corporum promittebant in nomine Menandri baptizatis, DOSITHEANI, GLEOBANI, GORTHENI, MASBOTHEI, ADRIANISTÆ, EUTYCHISTÆ, CANISTÆ ; quorum omnium brevissima duratio erat.

CERINTHIANI, a Cerintho proselyto ex Judæismo, an. 51. Statuerunt Angelos mundi conditores adorandos ; Jesum distingui a Christo, illumque commercio maritali natum, passum, necdum resurrexisse ; hunc sub columbæ specie descendisse ; et sub passionem discessisse ; abjecto, præter Evangelium Matthæi, nec illud integrum, novo Testamento, servandam legem Mosaicam ; baptismum pro mortuis non baptizatis suscipiendum ; fore millenarium regnum deliciis carnalibus abundans, post resurrectionem, Hierosolymis agendum.

NICOLAITÆ, a Nicolao Diacono, non quidem auctore, sed occasione, an. 65. Præter errorem de conditoribus mundi barbaronymis, volebant licitam idolothytorum comestionem ; scortationem ac indifferentem uxorum usum non tantum licitum, sed et meritorium et ad salutem necessarium.

EBIONITÆ, ab Ebione, sive voce *mendicum* significante, sive persona sic appellata, an. 72. Credebant Christum ex conjugio Josephi et Mariæ carnali natum ; obligant ad legalia ; virginitatem rejiciebant ; permittebant uxorum pluralitatem.

NAZARÆI, item ESSÆI, aut ESSENI cir. an. 82. erant e Synagoga Christiani ; qui sicut fidei in Christum addebant necessitatem observationis legalium, ita sectis antiquis appellari potius amabant, quam dici Christiani.

Hujus seculi hæreticis addi a quibusdam solent CAPHARNAITÆ discipulatum Christi deserentes ob crudiorē comestionis Eucharisticæ acceptionem ;

HYMENÆUS item ALEXANDER et PHILETUS cum aliis Corinthiis resurrectionem mortuorum negantes, traditi satanæ a Paulo: plures denique tum PSEUDOCHRISTI seu Messiam se fingentes, tum PSEUDOAPOSTOLI vel PSEUDOPROPHETÆ, quorum plerique observationem legalium urgebant, aliqui etiam aut impunitatem licentiam docebant, aut magistratibus gentilibus obedientiam præstandam negabant.

SECULUM II.

CAINITÆ, ab æstimatione Caini fratricidæ sic dicti, an. 101. Quos Scriptura pessimos depinxit, hi celebrabant velut optimos, a Sophia contra Hysteram protectos, quos nominibus virtutes rerum creatrices, illam fortiorem, hanc infirmioreni colebant, ex Evangelio Judæ proditoris conficto ita edocti. Senserunt male de expiatione peccatorum per Christum, martyrio et idolothytis.

HELCESEI, ab Elaxai sive Helcæo Pseudopropheta appellati, an. 103. Tribuebant Christo et Spiritui S. certas quantitatis mensuras; illum apparuisse tantum licet sæpius, hunc sexu foemineo formatum dicebant: religionis partem exoticis jurisjurandi formulis definiebant; in persecutione fidem libere negabant.

SATURNIANI, a Saturnino Menandri discipulo, an. 107. Fingebant septem angelos mundi et hominis conditores; eorum unum esse Deum Judæorum, sed a Christo superatum: duplex haberi hominum genus, matrimonium a satana esse inductum, esum animalium illicitum.

BASILIDIANI, a Basilide etiam Menandriano, an. 110. Præter Saturnini errores docebant ab ingenito Patre progeneratam Mentem, a Mente Verbum, a Verbo Prudentiam, ab hac Sapientiam et Potentiam, ab his Virtutes Principes et Angelos primos, a primis cælum supremum et Angelos alios; ab his cælum secundum et itidem alios, ac sic deinceps, donec per continuam propagationem formarentur 365 cæli; quem numerum in se contineat nomen *Abraxas*, quoad rem Deus, rerum omnium principium: Christum, virtutem incorpoream sed omnis tamen figuræ potentem, sub specie Simonis Cyrenæi evasisse, dum hic crucifigeretur; unde nec in crucifixum credendum, nec martyres, utpote Cyrenæo tantum similes, honorandos: animas ob peccata olim commissa nunc pati; fidem homini naturalem esse ac congenitam; disciplinam arcani more Pythagoreorum servandam.

GNOSTICI a scientia, CARPOCRATIANI a Carpocrate auctore dicti, an. 120. Statuerunt Theogoniam Saturnianæ in multis similem, diversam quoad primum Deum *Barbelo* nuncupatum et alterum *Sabbaoth* cæli septimi incolam mundique conditorem: Christum hominem purum et carne tantum apparente indutum: duas in homine animas, bonam alteram et ratione præditam, alteram malam et rationis expertem; earundem metempsychosin; carnis resurrectionem et iudicium nullum; licitam a fide defectionem, idololatriam, omnemque libidinem; aversanda jejunia et procreationem prolium; ne quid dicam de nefandis mysteriis.

ADAMITÆ, quod nuditatem Adami innocētis in conventibus imitarentur, sic nominati, an. 130. Prodicum Carpocratis discipulum pro auctore habentes, errabant circa unitatem Dei; permissa libidine promiscua improbabant nuptias; lapsos ex Ecclesia, quam Paradisum dicebant, ejicere soliti.

VALENTINIANI, appellati a Valentino an. 140. Suo de Æonibus horumque

genealogia systemati, ex Platonis ideis, Theogonia Hesiodi, et Evangelio S. Joannis misere compilato, addiderunt errores de Deo corporeo, de corpore Christi cælesti, de natiuitate ejusdem mere transitoria, de triplici genere hominum Pneumaticorum, Psychicorum et Choicorum, deque corporum resurgentium spiritualitate, etc.

Ex VALENTINI sectariis, specialem subin errorem addentibus, alii usurpabant nomen ab auctoribus, quales sunt SECUNDIANI, novam Æonum seriem et naturam statuentes; HERACLEONITÆ, animam mortalem et corruptibilem volentes; MARCOSII Deum quaternitate et Pleroma litteris alphabeti complectentes; COLORBASH vitam et gratiam hominum in septem sideribus constituentes; cæterique a FLORINO, BLASTO, BARDESANE, BERONE et ALEXANDRO nomen et singularem insaniam mutantes: alii appellationem derivabant aliunde, uti ORBITÆ seu serpentini a serpente Paradisi, quem auctorem scientiæ boni et mali, quoniam ipsum esse Christum delirabant; ARCHONTICI seu principales a principe, pro quo seu rerum omnium principio spirituales substantias habebant; ABELITÆ, qui Abelem, SETHIANI, qui Sethum Patriarcham fuisse Christum contendebant.

CERDONIANI, a Cerdone an. 141. Admittebant duo rerum principia æterna, alterum bonum et Christi patrem; malum alterum et Legis ac Prophetarum auctorem.

MARCIONITÆ, a Marcione an. 142. Assumptis duobus Cerdonis principiis et Valentini Æonibus, adjunxerunt Christum duplicem, alterum apparentem tantum et passum, alterum judicem olim venturum: damnarunt conjugium et generationem; vetuerunt baptismum conjugatorum: exercuerunt anabaptismum etc.

Marcionis discipuli LUCIANUS et APelles cum Philumena sectas quidem a nomine suo distinctas, a Marcionitis autem dogmate non admodum diversas fecerunt. Ex his posterior voluit fidem sine examine retineri, quam quilibet a natiuitate ac institutione parentum acceperit.

THEODOTIANI, a Theodoto Coriario an. 146. Asserebant filium Dei et Angelos, animas etiam ac demones esse corporeos; dari in Angelis differentiam sexus; ipsum Jesum habuisse opus redemptione, quam columbæ in baptismo apparentis beneficio acceperit; Deum Patrem in Christo passum; a Christo patiente recessisse animam spirituales et divinam, remanente materiali; astra rebus inducere fatum etc. Dicebantur etiam Alogi. h. e. Verbo carentes, ob negatam Verbi divinitatem, atque hinc S. Joannis Apocalypsin ac Evangelii initium erasum.

ENCRATITÆ, h. e. continentibus, orti a Tatiano lapsos, an. 171. Admittebant Valentini Æones; rejectis pro libitu variis Scripturæ libris, sectabantur Evangelia apocrypha; Legis et nuptiarum auctorem statuebant demones; ob eandem originem abstinebant a carne et vino, adhibita etiam in Eucharistiæ sacrificio sola aqua, inde HYDROPARASTATÆ dicti.

MONTANISTÆ a Montano, CATAPHRYGES a regione, PEPUZIANI a vico dicti an. 172. Fingebant Sp. Sanctum in Montanum ejusque scorta, Priscillam et Maximillam descendisse; damnabant secundas nuptias; inhibebant fugam in persecutione; imminuebant potestatem clavium; indicebant nova et singularia jejunia.

Montanistis accensentur QUINTILLIANI, a Quintilla pseudoprophetissa, ARTO-

TYRITÆ, panem et caseum in Eucharistia adhibentes; TASCODRUGITÆ, inter orandum naso digitum indicem imponentes; ASCODRUGITÆ, utrem inflatum in conventibus exponentes; TERTULLIANISTÆ a Tertulliano Scriptore Ecclesiastico, animas esse corporeas, et has olim in dæmones convertendas asserente etc.

Ad hoc seculum pertinent MILLENARIJ verecundiores a Papia an. 109. exorti: EPIPHANES Carpocratis filius an. 120. a sua secta honore divino singulis mensium Calendis cultus: HERMOGENES Stoicus an. 179. docens materiam improductam, æternam, et rerum omnium conprincipium: SELEUCUS et HERMIAS an. 190. sentientes cum Hermogene, nec resurrectionem aliam, quam generationem ordinariam admittentes: ARTEMON an. 191. negans divinitatem Christi, falsamque ad Apostolorum doctrinam et traditionem provocans.

SECVLUM III.

PATROPASSIANI vel MONARCHICI sic dicti, quod Patrem divinum esse passum admitterent, vel admittere cogentur; quia in Deo statuebant personam re unam, nomine duntaxat vel operatione trinam, quæ frequentius Pater, sæpe Filius aut Sp. Sanctus dicebatur. Appellationes varias capiebant a variis hujus erroris vel solitarii vel aliis conjuncti auctoribus, scilicet PRAXEANI a Praxea Asiatico an. 205; NOETIANI a Noeto-Smyrneni an. 239; SABELLIANI a Sabellio Ep. Ptolemaidis an. 257, qui et Christo divinitatem detraxit; PAULIANI a Paulo Ep. Samosateno an. 263; quamvis hic distinxit Verbum et Spiritum Deo internum et cum Patre unum a Spiritu et Verbo externo ac prolatio, immediate unito cum Christo.

NOVATIANI tum a Novato Carthaginensi, tum a Novatiano Romano Presbyteris an. 251. Lapsis negabant poenitentiam; baptizatos extra suam sectam rebaptizabant, negligebant Confirmationem, contemnebant Martyres et Martyrum reliquias, secundas nuptias damnabant. Dicebantur etiam *Cathari* ob jactatam suorum munditiam.

MANICHÆI a Manete seu Manichæo, mancipio Persa an. 277. Statuebant duo principia, alterum bonum seu lucem et boni causam, alterum malum seu tenebras, et mali, quod substantia etiam sit, auctorem; unde fabulosam rerum omnium et mundi ex boni malique mixtione conflati genesin deducebant. Utrique principio tanquam affectus tribuebant bonos vel malos ignem, aquam, ventum et aera; bono præterea solem et lunam, malo carnem et vinum adscribebant. Faciebant Deum corporeum et nomine duntaxat trinum: Christum volebant sine vera carne, adeoque mere apparenter natum passum et redivivum, ad solas salvandas animas missum. Homini negabant libertatem, admissis in eo duabus animabus, ex natura sua faciente altera bonum, altera malum, prout alterutra foret superior. Rejeciebant Testamentum Vetus, fidei baptismique necessitatem et utilitatem, Reliquiarum Sanctorum, venerationem, matrimonium, resurrectionem carnis; abstinebant a vino, carne, ovis, lacte, occisione animalium, evulsione plantarum, quin et a pane, quem non nisi execratione expiatum manducabant; credebant metempsychosin et substantiæ divinæ particulas rebus omnibus in-existentes; conspurcabant Eucharisticum panem; jejunabant diebus solis et lunæ; mille impudiciis, maxime eorum ELECTI, se inquinabant etc.

HIERACITÆ, ab Hierace Medico Ægyptio an. 290. Loquebantur male de Filii divinitate et generatione; Melchisedechum habebant pro Spir. Sancto; negabant Paradisum fuisse sensibilem, aut fore carnis resurrectionem; volebant nuptias convenisse tantum veteri Testamento; cum baptismo etiam decedentes ante rationis usum fieri extorres regno cœlorum.

Huc spectant DOCTÆ seu opinatores, orti a Julio Cassio an. 201. Incarnationem pro mera apparentia habentes; unde et PHANTASIÆ dicti: MELCHISEDECHIANI, ortum a Theodoto Trapezita an. 217. nomen trahentes a dogmate, quo Melchisedechum Virtutem cœlestem, et Christo præcellentiorem ferebant: VALESIANI a Valesio Arabe an. 240. concupiscentiam, qua tolli libertatem putabant, ex sectione tum propria tum aliena corrigere studentes: ARABES quidam cir. an. 249. mori animum et cum corpore suscitari docentes: AQUARI sub seculi medium et persecutionis tempus sacrificium aqua conficientes, ne ex vini odore dignoscerentur.

SECVLUM IV.

DONATISTÆ, a Donato casarum nigrarum an. 311. Contendebant Ecclesiam, ob communionem cum Cæciliano ubique terrarum velut contagione extinctam, in sola Africa penes Donati partem remansisse; ideoque extra suam sectam baptizatos et ordinatos jubebant iterare Sacramenta. Dicebantur etiam MONTENSES, RUPITANI, CAMPITÆ a monte, rupe aut campo, queis celebrabant suos conventus; ROGATIANI, CLAUDIANENSES, PRIMIANISTÆ, MAXIMIANISTÆ a schismatis, quo inter se scindebantur, auctoribus; CIRCUMCELLIONES a quorundam circa rusticanas cellas victus gratiæ vagantium usu; qui etiam sponte se aliis occidendos præbebant aut ipsi inferebant sibi mortem, captata hinc Martyrii gloria et *Agonisticorum* appellatione.

ARIANI, ab Ario Presbytero Alexandrino anno 319. Profitebantur tres quidem personas; sed Patrem solum asserebant Deum verum æternum et immutabilem: Filium etiam dicebant natura perfectissimum, ante mundi initia factum, ac instrumenti loco ad omnium creationem assumptum, quin et Dei filium ac Deum; non tamen Patri consubstantialem, nec attributis et gloria æqualem, nec per essentiam bonum, sed creaturam et gratia tantum et adoptione Deum: Spiritum sanctum item statuebant creaturam Filii, dignitate inferiorem Patre et Filio, cooperatum in creatione universi.

Successu temporis dividebantur Ariani in varias sectas. Alii erant ANOMŒI, qui Filium Patri omnino *dissimilem*, heterousium et subjectum dicerent: habebantque pro auctoribus AETIUM Diac. Alexandrinum an. 358; EUZOIUM Ep. Antiochenum an. 360; EUNOMIUM an. 362. qui circa Dei cognitionem, baptismi formam et animam Christi, errores cumulabat; EUBOXIUM Ep. Constantinopolitanum an. 367. aliosque; unde et appellationem capiebant. Alii SEMIARIANI dicebantur, qui Filium Homocousium seu *per omnia similem* statuebant, auctoribus Basilio Ancyrano, Georgio Laodiceno et aliis an. 347. præeuntibus jam an. 331. Eusebio Nicomediensi et Cæsareensi, unde et EUSEBIANI vocabantur. Alii OMOEI similem faciebant Filium, præscindendo tamen an in omnibus ac essentia foret similitudo; quorum caput an. 341. erat ACACIUS Ep. Cæsareensis, a quo ACACIANI appellabantur.

PHOTINIANI a Photino Episc. Sirmiensi an. 345. Conjungentes Sabellii et

Pauli Samosatani hæresin, dicebant Deum esse solitarium; nullam Verbi et Spir. Sancti esse personam, sed meram temporariam Patris extensionem ad extra; Christum accepisse ex Maria initium, merumque esse hominem.

AERIANI, ab Aerio Presbytero anno 350. Equabant Presbyteros Episcopis; damnabant sacrificia, orationes et bona opera pro defunctis; rejiciebant jejunia ab Ecclesia statuta et Paschalem celebritatem.

MACEDONIANI, a Macedonio Episc. Constantinopolitano, PNEUMATOMACHI a dogmate an. 362. Non differebant a Semiarianis, nisi quod errorem de Spiritu Sancto impotentius divulgarent, quem divinitatis expertem, creaturam, famulum et ministrum blasphemabant.

APOLLINARISTÆ, ab Apollinari patre et filio Presbyteris an. 377. Errabant circa Trinitatem jam cum Sabellio jam cum Ario: Verbum dicebant supplevisse in Christo jam totam animam, jam solam mentem: in eodem negabant veram carnem: post resurrectionem universalem fingeant reitutam Vet. Legis observantiam.

PRISCILLIANISTÆ, a Priscilliano Hispano an. 380. Erroribus Sabellii, Arii, Manichæi et Gnosticorum capitalibus addebant ex suo fatum astrologicum, licentiam mendacii et perjurii, facultatem docendi datam fœminis.

JOVINIANISTÆ, a Joviniano monacho anno 389. Spernebant cœlibatum et monachatum; reprobabant jejunia et abstinentiam a certo ciborum genere; negabant inæqualitatem peccatorum, meritorum et præmiorum cœlestium, item gratiæ amissibilitatem; affirmabant Virginitatem Beatissimæ in partu læsam.

MASSALIANI seu EUCHITE a precibus, et ENTHUSIASTÆ a visionibus an. 390. Solis precibus tribuebant omnia, nihil Sacramentis, jejunio aut labori; illusoriis revelationibus se aliosque fallebant, oculis corporeis Deum a se videri et Spiritus Sancti adventum percipi mentientes; peccatum originale per baptismum, intacta radice, tantum abradi effutiebant.

Eidem seculo adscribuntur ANTHROPOMORPHITÆ sic dicti, quod Deum putarent corporeum et ad ejus imaginem hominem etiam secundum corpus fuisse factum; qui an *Melitoniani* a Melitone Episc. Sardensi an. 170. vel *Audiani* ab Audio vel Audæo an. 350. jure dici queant, vid. in Tr. de Deo: TRIFORMI, prioribus ætate ac dogmate vicini, Deum triformem ex Patre, Filio ac Sp. Sancto, tanquam tribus partibus constantem, fingeant: QUARTODECIMALI ab an. 325. hæretici, qui post Decretum Nicænum nihilominus in paschate luna 14^a celebrando persistebant: COLLUTHIANI a Collutho Presb. Alexandrino, prope idem tempus ordinante Presbyteros, et Deum auctorem pœnæ ac mali negante: EUSTATHIANI ab Eustathio Sebasteno cir. med. sec. præter nuptias et carnem damnantes primitias, agapas et conventus Ecclesiasticos: COLLYRIDIANI an. 377. dicti a placentis, quas Arabes offerebant in honorem Deiparæ pro Dea honoratæ: ANTIDICOMARIANITÆ, h. e. adversarii Mariæ an. eod. dicti, quod Deiparam plurium adhuc ex Josepho prolium matrem facerent: HELVIDIUS an. 382. ejusdem erroris socius et matrimonium virginitati æquans.

SECVLVM V.

PELAGIANI a Pelagio, Monacho Laico, an. 405. Errarunt docendo, Adamum esse conditum mortalem, et miseriis vitæ subjectum æque ac ad meritum

et demeritum potentem: primævum hunc hominis statum fuisse conditionem naturæ, non culpæ meritum nec gratiæ beneficium: peccando Adamum nocuisse sibi soli, non posteris, nisi exemplo: nasci homines de facto, sicut Adam conditus fuerat: nec contrahi nascendo culpam: ideoque parvulos non egere baptismo ad delendum peccatum originale, sed ad intrandum in regnum cœlorum, a vita æterna distinctum: congenitas homini vires ac libertatem sufficere ad omnes tentationes vincendas, ad peccata omnia vitanda, ad omnia Dei mandata servanda, ad opera meritoria peragenda, ad beatitudinem adipiscendam: ad ista, non quidem simpliciter, sed tantum facilius posse, gratiam Dei esse necessariam: hanc reipsa dari, non tamen gratuito, sed secundum merita naturalia: eam, quæ detur, externam esse ac illustrationis, non internam et voluntatis: convenire huic etiam vitæ impeccantiam et justitiæ perfectionem: prædestinationem ad gratiam et gloriam non fieri. Dicti sunt iidem COELESTIANI a Cœlestio, primario Pelagii discipulo et hæresis adjutore.

SEMPIELAGIANI ab imminuto Pelagianismo, et MASSILIENSES a civitate, in qua spargi errores cœperunt, an. 427. Retinuerunt ex Pelagianorum erroribus tum illum, quod natura se sola sufficiat saltem ad initium fidei, adeoque justitiæ et salutis; tum eum, quod propter naturale opus detur gratia ad fidem et justificationem, adeoque ut, ubi opus ejusmodi v. g. in infantibus præcedere nequeat, Deus tamen collationem vel negationem gratiæ omnino commensuret ad merita naturalia vel demerita conditionate prævisa, quæ scilicet infantem habituri essent, si diutius vixissent. Addebant hinc Deum *indifferenter et æque* velle omnes salvos fieri, si ipsi velint, voluntate nimirum ex solis viribus naturalibus agente; Christum etiam simili indifferentia et æqualitate pro omnibus passum, et hos sub eadem conditione fieri participes redemptiōnis, ideoque electos nihil habere, ex parte affectus et voluntatis Dei, præ reprobis; nec dari vocationem secundum propositum; nec gratiam et a merito naturali independentem prædestinationem sive ad gratiam sive ad gloriam.

NESTORIANI a Nestorio Ep. Constantinopolitano an. 428. Distinguebant personam Verbi a persona Hominis in uterō Deiparæ formati; nec inter utrumque unionem admittebant substantialem ac physicam, sed accidentalem duntaxat et moralem: unde Incarnationem dicebant esse meram inhabitationem Verbi in homine velut in templo; negabant Deum esse natum, passum aut mortuum; non patiebantur B. Virginem vocari Θεοτόκον seu Deiparam, sed Χριστοτόκον tantum aut Ἀνθρωποτόκον, seu Christi vel hominis matrem.

EUTYCHIANI ab Eutyche Archimandrita Constantinopolitano, MONOPHYSITÆ a dogmate dicti an. 448. Statuebant Christum quidem esse ex duabus, non autem in duabus naturis, adeo, ut, sicut per et post unionem Verbi cum homine in Christo una duntaxat est persona, sic una etiam tantum sit substantia et natura; explicando hanc unitatem evenisse sive per compositionem aut mixtionem aut confusionem utriusque naturæ, sive per conversionem unius naturæ in aliam, sive per alterius ab altera absorptionem.

Multiplex hujus sectæ appellatio aut ab Eutychetis discipulis aut ab erroribus additis hoc et sequenti seculo emerit. ΘΕΟΡΑΣΧΙΤÆ dicebantur, qui auctore Petro Gnaptheo seu Fullone Patr. Antiocheno an. 471. divinitatem cruci affixam docebant; hinc Trisagio Sanctus Deus etc. illud: Qui cruci-

fixus es pro nobis, addentes. ACEPHALI, qui a Petro Mongo Patr. Alexandrino, ob pacem cum Acacio Constantinopolitano an. 482. initam, discesserunt, communionem deinceps suam *sine capite*, h. e. sine ullo Episcopo habentes. CORRUPICOLÆ, qui Christi corpus corruptioni seu infirmitatibus humanis, ex necessitate quidem, subjectum dicebant, auctoribus an. 518. Severo Patr. Antiocheno et Theodosio Alexandrino; unde et SEVERIANI aut THEODOSIANI audiebant. INCORRUPICOLÆ aut APITHARDOCETÆ, ac PHANTASIÆ, qui Christo corpus penitus incorruptibile tribuebant, docentes hinc illum specietenus tantum exhibuisse affectiones humanas, auctoribus an. 519. Gajano Ep. Alexandrino et Juliano Halicarnasseo, appellatione inde sectariis adherente. AGNOETÆ seu ignorantes, qui auctore Themistio Diac. Alexandrino. an. 530. præter alias infirmitates Christo ignorantiam extremi iudicii aliorumque tribuebant.

PRÆDESTINATIANI, dicti a primario errore, quo docebant ex mera Dei voluntate alios ita prædestinari ad vitam, ut perire non possint; alios ad mortem, ut salvari nequeant. Addebant, Deo haud inesse voluntatem salvandi omnes; nec Christum mortuum esse pro omnibus; nec relinquere libertatem hominibus; nec Sacramenta in prædestinatis ad mortem habere vim remittendi peccata aut conferendi gratiam. Hujus hæresis ortum probabilius affigendum esse postremæ seculi 5. medietati, ostenditur in Tr. de Deo sub finem.

Præsenti seculo tribuuntur ABELIANI an. 402. velut *Abelis* continentiam profitentes, probatis quidem nuptiis, operam dare liberis nefas ducentes, sed horum defectum adoptione suppletentes: VIGILANTIUS Presb. Barcinonensis an. 406. reprobans Sanctorum Martyrum invocationem, Reliquiarum venerationem, vigiliarum celebrationem, Clericorum cælibatum cum virginitate, monachorum institutionem, eleemosynarum in Monachos, Virgines et Viduas distributionem: COELICOLÆ an. 408. admixto Christianæ fidei Judaismo, insuper cum paganis sidera seu cælum adorantes: XENIAS Ep. Hieropolitanus an. 486. religiosum imaginum cultum persequens.

SECULUM VI.

JACOBITÆ, a Jacobo Zinzalo Syro, baptismum igne conferente, dicti an. 535. Hoc nomine ab eo tempore EUTYCHIANI per orientem plerique omnes, maxime autem ARMENI, se distinguebant a Catholicis, quos *Melchitas* h. e. Imperatores compellabant, eoquod Marciani Imperatoris fidem in Conc. Chalcedonensi sancitam sectarentur. Præter communem hæresis errorem varii varios singularium sectarum errores assumebant, ritibus etiam plurimis exoticis circa sacrificium, festa, jejunium et imagines adjunctis.

Commemoratis priori seculo Eutychianismi surculis accesserunt SEMIDULITÆ, etiam BARSANIANI a Barsano Acephalo an. 535. appellati, qui digito farinæ infincto et ad os admoto Eucharistiam celebrabant. Item TRITHITÆ, seu tres Deos confessi, an. 537. a Joanne Philopono Grammatico Alexandrino orti, qui tres in divinitate substantias seu naturas, et hinc tres Deos, admisit vel admittere vi consequentiæ cogebatur.

ORIGENISTÆ, qui errores Origeni, sive proprios sive imputatos, sectabantur,

in Conc. œcumenico V. damnati, quod vide; ubi etiam *de Tribus capitulis* in controversiam adductis mentio habetur.

Contemporanei sunt DEUTERIUS an. 506. baptismi formulam usurpans in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto; ACOEMETÆ seu vigilantes, Monachi sic dicti ob perpetuum chorum, qui an. 553. Nestorianismum aut ejus suspicionem incurrerunt, quod obstinate negarent, de Trinitate unum in carne passum.

SECULUM VII.

MONOTHELITÆ a processione unius in Christo voluntatis dicti an. 633. Quamvis ab Eutychianis se distinguerent, duas in Christo naturas prædicando; ab eorum tamen consecrariis non recedebant, unam duntaxat Christo voluntatem, unamque itidem energiam theandricam seu operationem Deivirilem statuendo, ea ex ratione, quod humanam in Christo naturam solum ut a divinitate motam, nunquam motu proprio, agere opinarentur. Vide Conc. Œcumenic. VI.

PAULICIANI a Paulo Armeno an. 653. Admittebant duo Manichæorum principia; Deiparæ negabant maternitatem; Baptismum et Eucharistiam reponebant in solis Christi verbis; Prophetas, Sanctos, et Crucis lignum spernebant; mendacium et religionis simulationem permittebant; præterea in omne libidinis genus liberrime effusi.

Temporibus his adscribuntur a Damasceno CHRISTOLYTÆ, solam Christi divinitatem ascendisse in cælum rati, et sic Christum *solventes*; GNOSIMACH, omnem *scientiam*, etiam sacram, respuentes; ETHNOPHRONI, superstitionem *Gentilium* sectantes ac *Sapientes*; PARERMENITÆ, Scripturam sacram pro libitu *interpretantes*: quos tamen sufficiat nominasse.

Eodem etiam seculo, æra anno 622. affixa, ortum habuit MAHUMETISMUS, cujus præcipua capita sunt, Deum non esse personis trinum; Christum quidem Prophetam sanctum, non tamen Deum esse nec passum; nulla esse Christianorum Sacramenta; beatitudinem voluptatibus carnis definiri; esse circumcisionem necessariam, pluralitatem uxorum licitam, usum vini prohibitum etc.

SECULUM VIII.

ICONOMACHI ab hostili in sacras Imágenes animo dicti an. 725. Earumdem non aliter, ac si idola forent, usum, memoriam ac venerationem insectabantur, dimovendo eas ex Ecclesia et conspectu, ludibrio et execratione habentes; igne ferroque abolentes. Vide Conc. œcum. VII.

ADOPTIANI a dogmate Elipandi Ep. Toletani an. 783. et Felicis Ep. Urgeliani anno 791. edito, quo uterque Christum vocabat filium Dei adoptivum, resuscitato Nestorii errore.

Errarunt hac ætate, et quidem an. 744. tum ALDEBERTUS natione Gallus, mendax sui ipsius jactator et invocationem ad Angelos ignoti nominis præscribens; tum CLEMENS Scotus, Christi redemptionem ad damnatos extendens, prædestinationis doctrinam pervertens, Ecclesiasticos canones et Patrum auctoritatem respiciens, defuncti fratris uxori nuptias cum fratre concedens; necnon an. 748. SAMSON Scotus, contendens sola Episcopi manuum imposi-